



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***OBERENSIS\****

**IN ARGENTINA NOVA CONDITUR DIOECESIS OBERENSIS**

Valde solliciti de maiore spirituali bono Christifidelium, Venerabiles Fratres Ioannes Ruben Martinez, Episcopus Posadensis, et Marcellus Radulfus Martorell, Episcopus Portus Iguassuensis, audita Conferentia Episcopali Argentina, ab hac Apostolica Sede petiverunt ut, singulo distracto territorio ab utraque circumscriptione ecclesiastica sua, nova conderetur dioecesis. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Hadriani Bernardini, Archiepiscopi titulo Faleritani et in memorata Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Apostolica Nostra potestate sequentia decernimus. A dioecesi Posadensi separamus integrum territorium paroeciarum: « San Antonio de Padua », « Cristo Rey », « Santa Rita », « San José Obrero » et « Ascensión del Señor », in Oberà; « San Rafael Arcàngel », « Santa Teresita del Niño Jesùs » et « Maria de Itati », in Cainguàs; « Santa Teresita del Niño Jesùs » « Santa Catalina de Siena » et « Santa Rita », in Colonia 25 de Mayo; « San Francisco Javier », in San Javier, necnon paroeciae ritus Ucraini « Inmaculada Concepcìon », in Oberà; a dioecesi autem Portus Iguassuensis separamus integrum territorium paroeciarum « Cristo Rey », « San Juan Neumann » et « San Vicente de Paùl », necnon ritus Ucraini « Asuncìon de la Santìsima Virgen », in Guarani; atque ex ita distractis duobus territoriis iisdemque circumscriptam finibus novam constituimus dioecesim Oberensem. Item, a dioecesi Posadensi separamus integrum territorium paroeciarum « San Alberto Magno » in Puerto Rico, et « San Luis Gonzaga » in Capiovì, quod quidem dioecesi Portus Iguassuensis adiungimus. Sic conditae dioecesis Oberensis sedem in urbe « Oberà » ponimus, templumque paroeciale ibi situm, Deo in honorem Sancti Antonii de Padua dicatum, ad gradum ac dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, in qua quidem Canonorum Capitulum, ad iuris normam, iubemus institui. Praeterea novam dioecesim Oberensem suffraganeam facimus Metropolitanae Sedi Correntiensi eiusque

Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Metropolitanae Sedis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Hadriano Bernardini, quem diximus, vel, ipso absente, illi, qui curat negotia Sanctae Sedis in Republica Argentina; eisdem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo tertio mensis Iunii, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quinto.*

THARCISIUS card. BERTONE <i>Secretarius Status</i>	IVAN card. DIAS <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	--

Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Emmanuel Fernandez, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. CI (2009), n. 9, pp. 761-762 © Copyright 2009 - Libreria Editrice Vaticana